Rom. 3.

EPISTOLA
AD
AUTHOREM
Dissertationis cujusdam Sophisticæ,
Cui Titulus,
FAITH Vindicated, &c.
Egregium Istius ERROREM Redarguens,
NEMPE
Fidei Christianæ Certitudinem non provenire ab ipsa Voluntatis Sanctâ Dispositione.

Authore *EDMUNDO ELISIO*, Ecclesiæ *Anglicanæ* Filio Obsequentissimo.

M. ANTON. Lib. 3. S. 12.

Τῇ, ὧν λέγεις, χῇ φθέγγῃ, ἡρωικῇ ἀληθείᾳ ἀρκέσῃ εὐζωήσεις.

Londini, Excus. sumptibus *J. C. Anno Dom.* 1668.

Reverendo In CHRISTO Patri,

SETHO,

Episcopo Sarisburiensi:

Πάντοτε χαίρειν.

QUAM præfero, Reverende Pater, *Magna est Veritas, & Prævalebit*: Quæ verò in *Fundo* latens Paucis admodum se præbet Spectabilem: Adeo ut Adversarii fortasse *Subterfugia* esse meos crepitaverint Lumen quodammodo Absconditum Sequentis Processus. At verò si Tu mihi, Eximium Literarum Columen, Tutelam præstes contra iniquissimas Protestantium quorundam Ignorantium Censuras, nullus dubito, quin σὺν Θεῷ facilè superavero validissimas Pontificiorum Doctissimorum Argutias.

 Dixi,

Dixi, & nulla meam vertet ſententia mentem.

Cui Placet Nihil, niſi *DEUS* Se Nobis in *CHRISTO* Offerens per *SPIRITUM SANCTUM*, vel propter Deum, Soli huic adeſt *CHARITAS*; *CHARITATEM* habenti adeſt *OMNIS VERITAS*: Hinc conſtat mihi Veritatem Propugnandi rationem optimam eſſe, vel ipſos Ejuſdem Adverſarios Diligere: nec ut Nos de Illis Triumphemus Conari, ſed ut Illi Nos etiam, atque Homines Univerſos Diligentes, de ſuis Triumphent Erroribus.

Ad Te ſcribentem vix ſiſto currentem Calamum, quippe qui optimè noviſti Πολυλογίαν noſtram Θεῷ non eſſe, ſed Ἁπλότητα, καὶ Φιλοστοργίαν.

Vale, Reverende Pater: Tibi In CHRISTO Oblatum, Oro, Candidè Accipias Filii Obſequentiſſimi Affectum,

Ɛ. Ɛ.

EPISTOLA,

EPISTOLA, &c.

LEgenti mihi, Erudite vir, Dissertationem tuam, cui Titulus, *Faith Vindicated*, &c. Quâ callidè adeo solidam aliquam adstruxisti Veritatem ad Errores stabiliendos, sæpius occurrit illa Poetæ Sagacissimi Querela:

Φεῦ · φεῦ · τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀληθῆ φύσει ἔχειν
Φανλῶ, ἵν' ὦσι πανδίκ' οἱ δεινοὶ λόγοι.

EURIPIDES *apud* STOBÆUM, *Serm.* 80.

Sæpiùs Oravi: Fac *DEUS*, ut *VERITATEM*, ac *VITAM* Sacri Ardoris Lumine Illustratus perpetuò Inspiciam, ut apud me nihili fiant Argutissima Hominum Fallacium Sophismata. At nè videamur nugas agere Rhetoricas, ad Errorem tuum (Fidei *CHRISTIANÆ* Certitudinem, *&c.*) citò Convindum me sedulò accingam.

Si Fidei *CHRISTIANÆ* Actus omnes Certitudinem involvant, & ab ipsa Voluntatis Sanctâ Dispositione proveniant, Fidei Certitudinem ab eadem provenire necesse est.

At Fidei *CHRITIANÆ* Actus omnes Certitudinem involvunt, *&c.* *Ergo*,

Illam Certitudinem ab ipsa Voluntatis Sanctâ Dispositione provenire necesse est.

Minoris partem priorem concedis: alteram sic Probo:

Aut ab ipsa Voluntatis Sanctâ Dispositione proveniunt Fidei *CHRISTIANÆ* Actus, aut à Voluntate haud Sanctè Dispositâ, aut nullo modo proveniunt à Voluntate.

Sed Omnibus constat non posse eos provenire à Voluntate haud Sanctè Dispositâ, proveniunt autem aliquo modo à Voluntate. *Ergo*,

Ab ipsa Voluntatis Sanctâ Dispositione.

Si statuas Fidei Actus nullo modo provenire à Voluntate, stat contrà *THOMAS* Vester. Movetur Intellectus (inquit 12ᵉ q. 56. 3 C.) ad assentiendum his quæ sunt Fidei ex Imperio *VOLUNTATIS:* nullus enim Credit, nisi *VOLENS*.

Pauca mihi tecum communicanda sunt de Cogitationibus nostris circa ea, quæ ad *Vincentii Baronii* Dogma redarguendum profers, Dogma quidem egregiè Orthodoxum, & Viro dignum, qui Laudes istas, quibus Illum ornâsti, optimè meretur. "Fidei Certitudo (inquit Ille) ducen-
"da est ab ipso *DEO* ejusdem Authore, qui
"Lumen infundit, & vires exhibet ad Credendum
"efficacissimas. At, inquis, Quæstio est, An
"*DEUS* Ordinariè, & absque Miraculo in
"Creaturas suas Rationales sine Motivis quibus-
"dam, seu Rationibus Lumen infundat, atque
"etiam An hujusmodi vires requirendæ sint;
"an potiùs incauta sit Credulitas; *i. e.* magna
"Infirmitas, Credere aliquid ultrà quàm habe-
"mus Credendi Rationem, atque adeo sit *DEO*,
"omnis boni, & perfecti Doni largitore indignum?
Respondeo. Fidei *CHRISTIANÆ* Actus omnes, *Fidei Corda Purificantis*, *Fidei per Charitatem Operantis*,

rantis, *Fidei Mundum Vincentis*, reſpectu Hominum hac Fide carentium Extraordinarii dicuntur; atque etiam eos haud impropriè Miracula vocare licet; reſpectu autem Omnium illorum, quos ſenſu ſtrictiori *Fideles* vocamus, quâ *Talium*, tam Ordinarii, ac frequentes ſunt, quàm Oculis Videre, Auribus Audire: ſinguli autem ſunt quaſi *Rivuli*, ac *Effluvia* (ut ita dicam) Summi illius Miraculi τῦ *INCARNATUM* eſſe *DEI Filium*: Aſſumpſit Ille Naturam Noſtram, ut per Illum Nos eſſe poſſemus *Naturæ Divinæ Participes*, in Omnibus Facultatum Intellectualium Operationibus in *DEUM OPT. MAX.* Ultimo tendentes. Ad Sublimem hunc Animi Statum, niſi Illo in Nobis Operante neutiquam aſſurgere potuerimus Mortales in tam profundum diræ Concupiſcentiæ barathrum demerſi.

CHRISTIANI non Credunt ultrà quàm habent Credendi Rationem: at ſi Fides illorum (ut maximâ ex parte, ſi non perpetuò ſit) producta ſit per illa Senſuum Objecta, quæ Providentia Divina in Mundo repoſuit, ut Credendi Rationes extent, talem involvit Objectorum illorum, ſeu Rationum Apprehenſionem, qualem ille Animus nequaquam aſſequitur qui *Voluntate Avertitur à DEO*, *Unico Objectivo Abſolutè CERTO*, *ac IMMUTABILI.*

Quæ Scripſi, Perpendas velim.

Φύσει μὲν ἅπας λόγ☉ σαθρὸς, καὶ ἐυκίνητ☉, καὶ διὰ τ ἀνπμαχόμενον λόγον ἐλαθρείαν ἂκ ἔχων. ὁδὲ πρὸς Θεὸν πσόστῳ μᾶλλον, ὅσῳ μεῖζον τὸ ἀνκείμενον, καὶ ὁ ζῆλ☉ πλείων, καὶ ὁ κίνδυν☉ χαλεπώτερ☉.

Νεῖπσω

Νοῆσαι χαλεπὸν, καὶ ἑρμηνεῦσαι ἀμήχανον (Res Divinas mente assequi arduum, verbis explicare perdifficile) *GREG. NAZIANZ. Orat.* 26.

Si nimiùm Obscura videantur Scripta nostra, audacter dicam, id sanè quod *Obscurum* vocas, nil aliud esse, quàm Phrasin Rei *Mysticæ* accuratiùs Aptatam.

Opto te bene Valere. Det tibi DOMINUS Intelligentiam in Omnibus.

ΔΟΞΑ ἐν ὑψίστοις Θεῷ, ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.